

Jacob Fabricius    Johann Below


**De Variolis Et Morbillis Theses Inaugurales, Autoritate Et Decreto Ampliss. Medicorum Universitatis Rostochiensis Collegii, Praeside ... Dn. Jacobo Fabricio, Med. D. Archiatro Megapolitano celeberrimo ... Publice proponit Johannes Below/Rostochiensis, Ad diem 21. Augusti Anno 1628. ...**

Rostochi[i]: Pedanus, [1628]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742565467>

Druck    Freier  Zugang






F. J. 105  
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835<sup>1-26</sup>





D. T. O. M. A.  
DE

22.

22

# VARIOLIS ET MORBILLIS

THESES INAUGURALES,  
*AUTHORITATE ET DECRETO*  
*Ampliss. Medicorum Universitatis Rostochiensis Collegij,*

RÆSIDE  
*VIRO CLARISS. EXCELLENTISS.*  
DN. JACOBO FABRICIO,  
Med. D. Archiatro Megapolitano celeberrimo, Med.  
& Super. Mathem. Prof. publ. Facult. Med. p. t. DE-  
CANO, favitore, præceptore & promotore  
suo summè colendo,

Pro summis in Arte Medica  
honoribus,

*Publicè proponit*

JOHANNES Below,

Rostochiensis,

*Ad diem 21. Augusti Anno 1628.*

In Auditorio Majori,



ROSTOCHI

Literis JOACHIMI PEDANI, Acad, Typog.



DE  
VARIOLIS ET MOR-  
BILLIS.

THESIS I.



*Um ex puerorum jacturâ, & inspe-  
rato obitu, Res quoq; publica da-  
mnum non exiguum patiantur, ope-  
ra precium facturi Medici, illorum  
morbos & considerandos, & curan-  
dos sedulò susceperunt, ut quantum  
per natura vires liceret, eorum cor-  
pora, qua habent calida & humida,  
omnium maxime corrupt ionibus ac putredini obnoxia, intra  
sanitatis limites, inoffensa tenerentur.*

2. *Et profectò tantò magis pueri summâ Medici ege-  
re videntur vigilantia, quod inermes planè, imperfecti, ex  
alieno nutu, consilio & auxilio dependentes, actutum misere-  
rias humanas, primo in vita limine, experiri incipiant, nec  
nisi alterius beneficio seruari posse videantur; Cum contra  
reliqua animantia in hanc lucem, & perfecta, & omnibus  
necessarijs rebus instructa, prodeant.*

3. *Quamvis autem pleriq; morbi omni atati indi-  
scriminatim contingere queant: esse tamen alios in unâ ma-  
gis, alios minus, notius est, quàm ut pluribus demonstrari  
debeat; & quotidiana abundè docet experientia, suos veluti  
proprijs & connatos habere senes, suos juvenes, quin &*



quemlibet sexum peculiaribus velut hostibus exerceri ac cruciari.

4. Interea nequaquam negamus istos, qui singulariter parvulis insidiantur, eosq; frequentissimè divexant, alias quoq; etates, diverso tamen quodam modo occupare atq; affligere: Et contra, senilium morborum exemplar, in juvenili corpore interdum, tristissimo spectaculo, animadverti Et observari; usq; adeo ἀτακτως καὶ ἀδύως in humanis morboſa potentia rebus ludit Et illudit, nunc hos, nunc dejicit illos.

5. Qua omnia minutius hoc loci persequi Et explicare, cum ratio instituti nostri recuset, ex iis affectibus, qui puerorum corporibus ut plurimum insident, Et molestiam pariunt insignem, in praesentiarum VARTOLAS Et MORBILLOS eligemus, de utrisq; cum ab iisdem ferè causis proveniant, signa Et symptomata penè eadem habeant, conjunctim hac disputatione tractaturi.

6. Nomina, quibus designantur, habent varia, Graecis ἀνθήματα καὶ ἐκθύματα, μώλωπες, ἐρυθρήματα, ἐκλάσματα, ἐκβεβήματα, ἰμφοί: Latinis veteribus ad illorum imitationem, efflorescentia, Et papula, itemq; pustula: aliis fervida eruptiones, rubida cutis aspredines, Plinio Boa, nonnullis sudamina: Germanis, Rindesblattern/Pocken/Rotlauff/Maseln/ aliterq; dicuntur.

7. Qua licet hasce humorum eruptiones, quales in puerorum aliorumq; corporibus communiter in summa cute videntur, si penitius considerentur, non perfectè exprimant, sed usq; adeo intricatè perplexatèq; significatione confundantur, ut nomen unum pro alio etiam optima nota authores, nec imi subsellij Medici usurpent, Et rem, de qua aliàs dissensus nullus, alij aliter appellent: suam tamen cuilibet libertatem facile indulgentes, cum nemine propterea litigare volumus, imprimis

primis quod similem vel eandem ubicunq; curationem, quacunq; explicentur nomine, desiderent & sibi postulent.

8. Placet nihilsecius usitatae Practicorum voces venere, & pustulas illas majores, per totum corpus cum dolore & pruritu erumpentes, & vesicularum faciem, quae ferventi aqua ambustis assurgunt, referentes, VARIOLAS, nominis origine inde fortassis tracta, quod cutim variant, vel quod varis, in facie tantum profluentibus, figuram respondeant; ceteras vero cutis rubedines, in universo corpore, similes pulicum morsibus, vel ijs ferè maculis, quae aestivo tempore, ob diuturniorem in Sole moram in facie contrahi solent, MORBILLOS nominare, vel ob parvitatem, minusq; conspicuam eminentiam, vel quia pueris imprimis accidunt.

9. Hi affectus, licet ab iisdem, ut dictum, ferè causis prognascantur: In quibusdam tamen à se tantum differunt, ut quemlibet seorsim definire necessum sit.

10. Et VARIOLAE seu εὐρύματα sunt pustulae in cute, cujusvis aetatis Hominum, extuberantes, cum vehementi dolore, pruritu, & ut plurimum ichore purulento, orta ex crassioribus impuritatibus omnis generis humorum, vicio vel corrupti aëris, vel pravitate alimenti, tam in utero attracti, quam deinceps etiam assumpti, genitis ac collectis, à natura peculiariter febris irritata, per sanguinis ebullitionem segregatis, & ad partes cutaneas expulsis.

II. MORBILLI seu ἐξάνθηματα sunt maculae summâ cute, omnis aetatis hominum, absq; manifesta ejus elevatione, aut abscessu efflorescentes, cum dolore & pruritu minore, orta ex impuritatibus humoris biliosi & tenuioris, vel corrupti aëris, vel alimenti, tam in utero, quam extra eum, assumpti vicio contractis, à natura febris singulariter incitata, per sanguinis ebullitionem segregatis & foras transmissis.

12. Genus proximum, pustulas seu maculas in sum-  
mâ cute efflorescentes, diximus; quippe instar florum, è ter-  
ra visceribus pullulantium, emergunt, ac veluti efflores-  
cunt.

13. Subjectum est cutis exterior totius corporis, cum  
partibus ei adnatis, & priusquam istuc transmittantur, o-  
mnium interiorum muscutorum, viscerum, solidarumq; par-  
tium velamina.

14. In omnis quoq; ætatis homines imperium suum  
affectus hi extendunt, ita tamen, ut in pueris præcipue, in  
viris raro, in senibus rarissime, aliàs citius, aliàs tardius, pro-  
ut sanguis vel purus, isq; vel tenuis aut crassus, vel fla-  
vus aut ater, vel serosus aut alio modo impurus, putridus aut  
non putridus est, nunc roseo, nunc subpallido, nunc livido,  
nunc alio colore sese conspiciendos sistant.

15. Istas autem impuritates natura, non simplici ex-  
pulsione, quâ quotidie ad partes cutaneas humores vitiosos in  
scabiosis excludi intuemur, sed ebullitione forti & fervore  
notabili, ope caloris nativi, heterogenea ab homogeneis seque-  
strantis, effundit: Adeo enim arctè cum reliquâ massâ con-  
fusa, inq; partes redacta sunt minimas, ut citra illam, exa-  
ctam sanguinis depurationem incassum expectemus.

16. Non aliter si butyrum à caseo separandum est, uni-  
versum lac in vase angustissimi oris vehementer conquassari  
oportet, ut concussionem illâ pars butyrofa à caseosa abscedat &  
segregetur: itæ in hoc magno natura labore, sordes atq; in-  
quinamenta sanguinis secernuntur, sanguisq; ipse defæca-  
tur.

17. Et hoc natura debitum semel persolvere omnes co-  
gimur, nisi fortassis præceps mors hominem è vitâ tollat, aut  
alia solemnis se interponat occasio, ut quidam etiam inscij, in  
materno illud persolverint utero, præsertim cum sciamus  
vario-

variolis infectis in hanc lucem prodisse, adeo ut Avenzoar  
pronunciarit miraculum esse, si quispiam vivens ab hoc morbo  
penitus liber sit, idq. potius D.E.I. adscribendum beneficium,  
quam aliis causis.

18. Quemadmodum autem ubi semel butyrum perfe-  
ctè separatum est à caseo, fieri ne utiquam potest, ut de-  
nò se-  
gregetur, etiamsi millies vel pluries concutiatur: similiter e-  
venit, ut qui semel ebullitione sufficiente variolarum aut  
morbilorum impetum sustinuit & superavit, deinceps ab iis,  
quatenus à materiâ sanguine menstruo factatâ originem ha-  
bent, maneat immunis.

19. Qui vero iteratâ vice illis corripuntur, vel ex  
vicio aëris, propter aquarum putrescentium, terra item ac ca-  
daverum halitus, aliove modo infecti, vel & pravorum ali-  
mentorû post nati vitatem usurpatorum, ex quibus faculentus,  
crassus, & depravato sanguinis materni nutrimento non absi-  
milis gignitur humor, illud patiuntur: & hinc ut plurimum  
sporadica, ac sparsim, jam hunc vel illum, privatim invaden-  
tes, enascuntur, ut ab aëre morbido, omnis ordinis & sexus æ-  
tatisq. homines, tanquam communi causâ, promiscuè variolis  
inficiuntur, qua per contagium deinceps ab uno ad alterum,  
qui substratum tacitè prabeat apparatus, in eâdem civitate  
vel regione propagantur.

20. Cause sunt vel internæ, proximiores & con-  
iuncta: remotiores & antecedentes: vel externæ.

21. Causa efficiens interna proximior est natura seu  
calor naturalis, qui febrili fervore, ob inquinamenti men-  
strualis, eig. analogi, molestam copiam, viciosamq. qualita-  
tem, stimulatus, materiam noxiam aggreditur, universumq.  
sanguinem exagitat, cujus ebullitione, per modum criscos, no-  
xia separantur, & ab intimis nobilioribusq. partibus, ad ex-  
timas

Humores ignobilesq; & cutaneas extruduntur, fiuntq; variolae,  
si materia crassa sit & viscida, sin subtilior & sicca, morbilli.

22. Causa interne remotiores sunt, quae corpora potissimum disponunt, calidior & humidior corporis constitutio, ejusdemq; habitus tener ac obæsus, atq; puerilis, itemq; juvenilis, plenitudo cacochymica & cacochymia, calida expirationis retentio ex constipatione vel obstructione.

23. Causa interna materialis seu conjuncta, est impuritas illa, vel ex materno sanguine, ab ortu primo, venis majoribus, solidisq; corporis partibus inherens, vel deinde ex vitiosis alimentis contracta, vel omnis generis humoribus, ratione corrupti & infecti aëris impressa, actu jam protrusa.

24. Causa externa, à quibus interna illa moventur, sunt aër, praesertim corruptus, aut infectus, contagiosus, malignus, & singulariter, ut sanguinem exagitet, dispositus, tūq; variolae & Morbilli publicè grassantur, ac more epidemiorum passim serpunt, quam ob causam saepe pestem antecedunt, vel sequuntur: Unde à Rhase communi nomine PESTIS, vel etiam pestis nuncij nuncupantur: Victus pravus post natiuitatem, simile viciū illi, quod ex semine & sanguine materno indutum, à quo solo alij variolarū & morbillorū exortum derivant, inferens: Suppressio consuetarum evacuationum, timor, exercitia intempestiva, longa mora sub Sole, temporum anni mutationes insigniores, constitutio Austrina, Balnea, & quaecunq; calorem in corpore augere possunt, ut usus vini meracioris, ciborum calidorum, pinguium, dulcium, itemq; horarum fructuum nimius esus.

25. In hisce omnibus prepollet contagium, quando ex agrotis, variolis & morbillis obnoxijis, νοσσην διακροσιν emanat, quae alteri corpori disposito, & analogiam ad infectos habenti communicata, pariformem in eo humorum ebullitionem excitat.

26. Dis-

26. *Differentia variolarum & morbillorum sumuntur, 1. à Quantitate, unde alia sunt magna, parva, copiosa, pauca, conjuncta, divisa. 2. à Qualitate, unde alia alba, rubra, virides, livida, subnigra, violacea, pro humorum, ex quibus generantur, diversitate. 3. à Subjecto: Nam alia cutem & externas partes tantum, alia verò etiam internas, imò omnium viscerum superficiem, & ipsorum cavitates, ac interdum substantiam occupant. 4. à Causâ, alia enim ex inquinamento sanguinis menstrui, alia ex pravâ humoribus pravâ victus ratione congestis, & quidem ex uno vel altero humore tantum, vel ex omnium permixtione oriuntur, alia aëris maligni, alia etiam contagij, alia deniq; aliarum causarum, sanguinem corrumpentium, occasione grassantur, unde aliquando Epidemiorum, aliquando sporadicorum classi annumerantur. 5. à Tempore modoq; eruptionis: Sic alia statim in principio & abundanter, alia tardius & segnitè, & quidem jam cum febrî vehementiore, jam mitiore, & sæpè adeò exiguâ, ut vix animadvertatur, erumpunt, alia post eruptionem augmentur, diuq; durant, alia protinus evanescent & dissolvuntur.*

27. *Inter se invicem autem differunt, quod variola pustulas magis magisq; exaltatas, & vesiculas, velut ab aquâ calidâ ambustas, ut plurimum sanie plenas: Morbilli duntaxat maculas, ab initio similes recentibus pulicum morsibus, rubicundas, referant: hi item à subtiliore, fervidiore, sicciore & biliosiore: illi à crassiore & copiosiore enascantur materia: variolis deniq; dolor dorsi, totiusq; corporis gravitas insit major, minor ardor, & pruritus. Morbillis minor quidem dolor, major ardor, sitis & inquietudo, nec minor malitia, maximè si iterum retrocedant: Variola item proprietate quadam oculos petant, morbilli minus: illa quoq; abscessu fi-*

B

miantur

niantur, & sapè fadas cicatrices relinquunt, hi nullo in corpore remanente vestigio, spontè, septimo ut plurimum die, sine exulceratione, obliterentur.

28. Ut autem imminentem variolarum & morbillorum eruptionem artificiosè previdere, & unum affectum ab alio discernere possimus, signa attendenda sunt, quorum alia imminentes; alia presentes; alia causam; alia partem affectam demonstrant; alia, quid de eventu illorum boni malive sit expectandum, presagiant.

29. Presentium & imminentiam signa petenda sunt ex actionibus laesis, excretis, & qualitatibus mutatis.

30. Laesa actiones. Dolor capitis cum temporum & frontis pulsatione, sternutatio, terror & inquietudo in somno, paroxysmi epileptici aut epilepticis similes, deliria, gravitas totius corporis, difficultas spirandi, tussis sicca, motus progressivus tremulus & vacillans, oscitatio & pandiculatio, cordis palpitatio, magnus dorso dolor, vox ad insolitam mutata raucedinem.

31. In excretis observare licet, lachrymas spontè ex oculis emanare, sputa crassiora, haemorrhagiam narium & vomitus: urina quandoq; subpallida, quandoq; turbida mingitur, vel paulatim turbatur, sepe numero autem, praesertim erumpentibus pustulis, sanarum haud dissimilis: feces frequenter exsiccatae retinentur: utrumque accidit, quod natura, quicquid viciosi est in corpore, ad cutim, velut commune emunctorium, procul à venis vel alvo transmittat.

32. Inter mutatas qualitates primum locum obtinet totius corporis calor praeter naturalis, seu certa quadam & huic soli morbi generi familiaris febris, inter simpliciter putridas, malignas & pestilentes media, quae tamen mitior, quoad tactum,  
in va-

in variolis, acrior in morbillis, & hæc interdum tam vobemens  
& acris, ut pituitam in cerebro liquet, & catarrho ac tussis  
occasionem præbeat: utrinque etiam omnia accidentia,  
& symptomata, contra quam in reliquis evenit febribus, dan-  
tur fortiora, quod crisis tempus protinus sub initium ingruat:  
adest totius corporis & potissimum faciei præsertim in va-  
riolis, asperitas, hujusque color ruber, oris molesta siccitas, pru-  
ritus narium & oculorum.

33. Morbilli si futuri sint, apparent macule rubræ,  
non altæ, sed in latum extensa, ac ut plurimum velut cuti im-  
pacta, cum exigua & ferè nullâ ab initio asperitate; quin & hi  
propter materie tenuitatem atque acrimoniam, expultricem  
irritantem, citius quam variola, & jam statim primo, jam  
altero aut tertio die erumpunt.

34. Sin variola, plarumque circa quartum diem appa-  
rent, primò veluti capita acuum representantes, mox majo-  
res & altiores redduntur, sicque indies paulatim augentur & in-  
crescunt, quousque tandem vel suppurentur, albescant, exulce-  
rentur & exsiccentur, vel suo quaque modo resolutæ disparcant  
& evanescant.

35. Signa causarum quod attinet, humor qui vario-  
las & morbillos excitat, planè excrementitius est, qualis verò  
sit, color indicat. A Bile, cum flavedine rubescunt, à Pituitâ  
albicant, à Melancholiâ nigricantem, à sanguine sanguineum  
colorem habent: interdum violaceæ sunt, virides, livida aut  
nigræ, pro humorum majori vel minori corruptione.

36. Ex aëris vicio variolas aut morbillos enatos colli-  
gimus, si populariter grassantur, & sæpè eodem quo pestis tem-  
pore: Secus ex mensuræ sanguinis reliquiis, vel viciosi cibi:  
& hi post eruptionem, symptomata omnia toleratu faciliora,  
febrem mitiorem, pulsumque meliorem sortiuntur, cum ex ve-



menato aëre, ortum ducentes, cuncta pre se ferant tristiora,  
& imprimis pulsus magnam imbecillitatem.

37. Loca maximè affecta ex partium actionibus laesis cognoscuntur: Magna angustia pectoris, cum & sine tussi, partes thoracicas: Dysenteria, dolorq; intestinorum, intestina: Urina cruenta, renes & vasa urinaria: difficilis deglutitio laryngem & vicinas partes occupari denotant.

38. Sunt autem variola & morbilli è numero acutorum morborum, cum ut plurimum intra 14 dies terminentur.

39. Circūscribuntur variola duobus temporibus: Uno, quo humorum ebullitio; altero, quo variolarum eruptio fit. Tempus ebullitionis quatuor plerumq; diebus absolvitur, & Primus principium est: Secundus augmentum: Tertius status: Quartus initium declinationis, quo tempore febris & reliqua symptomata graviora cessare vel remittere solent, fitq; deinceps principium exitus variolarum & morbillorum: & hi quidem septenario ferè penitus resolvuntur, cum istarum augmentum eousq; producat: status Undecimo viget: ab Undecimo ad decimum quartam declinatio est: quo tempore variola exsiccantur, et si interdum ad diem vigesimum & ultra illarum exsiccatio protrahatur, materia crassiori & contumaciori existente.

40. Morbi exitum ex virium cum morbi magnitudine collatione praesagire licebit. Virium quidem robur ex actionum aegri vigore ac morbi tolerantia: Magnitudo morbi ex ipsis pustulis earumq; colore, febris intenso astu, aliorumq; symptomatum vehementia aestimantur.

41. In genere bonum signum est, variolas & morbillos citò erumpere, & post eruptionem febrim, difficultatem anhelitus, cateraq; accidentia imminui.

42. In specie: Variola securiores sunt, quae rubra,  
aut alba.

aut alba, pauca, molles, eminentes cum debitâ altitudine,  
rotunda, disjuncta, quæ facillè absq; magnâ ægri molestiâ ex-  
eunt, & citò maturantur, quæq; loca externa occupant.

43. Morbilli boni qui rubent, & citò apparent,  
quibusq; apparentibus symptomata remittunt.

44. Variola deteriores, violacea, virides, livida,  
nigre, sive pauca, sive multa appareant, dura, depresso, ex-  
igua, propinqua & contigua, itemq; continua, ut in unius va-  
riola ventre alia promineat; quarum item in medio macula  
nigra videtur, quæq; tardius maturantur, aut apparentes  
iterum evanescent, item quæ in interioribus partibus erum-  
punt, oculos invadunt, aut ulcerata escharas similes combu-  
sioni ignis relinquunt: Malum quoq; signum animi deli-  
quium, cardialgia, cum ingenti siti & indesinente nausæa:  
Fluxus alvi, vomitus, delirium, difficilis deglutitio, vigilia &  
somnia, omnia immoderata, noxia: Excrementa viridia,  
aut lotium viride, nigrum, vel cruentum, mala: refrigerati-  
o extremorum cum syncope, aut pectoris continuâ angustia,  
mortem in propinquo significat. Periculosiores adhuc exi-  
stunt, quibus ab apparitionis completo tempore, rursus ex-  
acerbatur febris, aut sine intermissione perstant symptomata,  
judicio certè indubitato malignitatis humoris intra venas  
perseverantis.

45. Morbilli suâ naturâ periculosiores sunt, ut pote  
ex biliosiore humore exorti, citius tamen judicantur: lethar-  
ales virides, violacei, nigri, nisi fortassis natura judicio, o-  
ptimâ die, cum euphorîâ agrorum, facta fuerit expulsio: mali-  
quosq; sunt, qui ad interiora recurrunt, non sine periculo decu-  
bitus in aliquod membrum princeps, præsertim si congruis  
medicamentis vicissim expelli nolint.

46. Omnium exactissimè ex respiratione & voce sa-

B 3

lutem

lutem aut mortem presagimus: Si enim duo hac bene se habent, salva res est: longè enim à partibus spiritalibus variolarum materiam distare significat, nisi fortassis agro, propter intestinorum erosionem, pereundum sit: Nihilofecius cum morborum acutorum non in totum certa sint predictiones, cautè hic agendum, & motus critici à symptomaticis diligenter discernendi, imprimis cum constet, multos in hisce affectibus etiam cum pessimis signis evasisse, & contra non paucos, dùm signa quadam bona apparerent, ac malum omninò declinare videretur, interyisse: Uti nobiscum præterito anno in multis observare licuit.

47. Hisce dextrè perpensis ad curationem accingimur, notando prius ex Avenzoare, quod variola & morbilli imprimis præservatione indigeant, si aëris vitio grassentur, aut contagio serpent; aliàs eadem utrimq; curatoria desiderent remedia, justo tempore adhibenda, ne occasio prætereat, cujus defectum deinceps supplere difficile erit.

48. Ac consistit præservationis summa in sex rerum non naturalium usu moderato, ut nimirum Aër corrigatur, vitentur alimenta, que faculentum & viciosum sanguinem gignunt vel cumulant: somnus & vigilia modum non excedant: temperetur motus & quies: corpus à superfluis humoribus evacuetur, & viscera roborentur: vitentur insigniores animi motus, & ante omnia infecti, & qui cum illis conversantur.

49. In curatione, statim atq; cognoscitur morbus, duas veluti supremas leges Medicus sibi propositas habet: Alteram, ut natura in expulsionem viciosa materis laboranti, si debiliter agat, subveniat: Alteram, ut omni studio, quantum per Artem licet, caveat, ne partes interna aut externa, in quas natura humorum decubitus moliri videtur, expulsio-

pulsione illâ damnum aut noxam aliquam graviolem patiantur.

50. *Natura succurrit, ejusq; motum adjuvat, tollendo causam morbificam vires impediens, illiusq; venenositatem ac malitiam compescendo, ac vires confortando.*

51. *Humores itaq; ut natura illis facilius dominari possit, ad mediocritatem, ijs, quæ humorum pravam qualitatem emendant, reducendi: & si nimio fervore peccant, refrigerandi: si malignitate aut perfectâ putredine, radicitus evellendi: si imperfectâ, alterandi: si copiâ, statim in principio, dum turgent, & quid movendum videtur, evacuandi: crassi, extenuandi & incidendi: tennes modicè incrassandi: quod si vasorum obstructio, aut nimia cutis densitas vel adstrictio, humoribus erumpentibus exitum præcludat, obstructiones aperienda, & hoc perpetuò agendum, ut natura expellenti, quantum possibile, omni studio subveniatur.*

52. *Quibus dum intentus est Medicus, simul, ne humores aut vapores noxii ad partes principes, cor, cerebrum, itemq; oculos, fauces, aures, aliasq; velut impetu ferantur, eas defendet, humores, humorumq; vapores revellendo, repellendo, partesq; ipsas roborando, ut sine corporis noxâ Variolarum cura absolvatur, semper in hisce indicationibus ei, quod maxime urget, principaliter incumbendo.*

53. *Et his omnibus ex triplici remediorum fonte, diætetico, chirurgico, & pharmaceutico, artificiosè satisfieri potest.*

54. *Cum verò, monente Celfo, optimum medicamentum sit, cibus oportune datus, & cetera remedia omnia, quamvis generosa, irrita, nisi commoda vivendi ratio, quæ sex rebus non naturalibus continetur, adjungatur, à fonte diætetico curationis initium faciemus.*

55. *Aër itaq; eligatur temperatus, ad calidum inclinans.*

mans: detineantur agri in lecto, optimo modo pannis rubris cooperto, ut sanguinis fervor per sympathiam ad extrema evocetur, idq; sedulo toto morbi tempore attendatur, ne frigiditate externâ materia pustularum ad interiora recurrat, aut natura conatus interpelletur.

56. Cibus, cum morbi huiusmodi ex acutorum numero sint, ad statum usq; tenuis esse debet, talis tamen, ut ad vigorem ager perduret, ne cum cibos aversatur, eos virium causâ sumere opus habeat. Et in principio ac ebullitionis tempore incrassans sit, moderatèq; refrigerans & subastringens, non tamen ventrem cohibens; inq; variolis ad siccum, in morbilis ad humidum declinans probatur, carnes & ova caveantur: apparentibus vero variolis pisanâ hordeaceâ, panatella, jusculo carniùm, cui radices feniculi, vel & alia convenientes herba incocta, vescendum: quo etiam in statu ficus arida concedi possunt, utpote quæ ingenitâ facultate noxios humores ab internis ad externa pellunt. Laudantur itidem lentescens excorticata, duabus vicibus cum aquæ renovatione elixæ, ut virtus nitrosâ solutiva, in lentium superficie existens, removeatur, postea ad perfectionem cocta, & cum pauco aceto, vel succo citri, limonum aut granatorum correctæ & exhibita. Post statum plenior diata indulgetur: sint tamen cibi facilis coctionis, boni succi, vitentur acres, salsi, pingues, dulces, uti & amari: sub finem morbi, cessante febre, pustulis suppuratis & crustis cadentibus, vel & citius, cum periculum evasisset, omne agrotantes certi sumus, exhiberi possunt carnes pullo- rum gallinaceorum, capi, vituli, perdicis, ova sorbilia, & id genus alia solidiora alimenta.

57 Potus ab initio sit cerevisia tenuis, probè cocta & defecata, serum lactis cum aceto tamarindorum paratum, aq. bordei cum succis limon. granat. berb. ribium, in quibus, si  
cornu

cornu cervinum calcinatum suspendatur, tantò majores expellendi vires habebunt: bibatur verò tepidè vel calidè, non frigidè. Vinum venenum est, præsertim latentibus adhue variolis aut morbillis, nec foras progressis, cujus loco decoctum scobis C.C.usti felicissimo successu usurpamus, & hoc, si ejulatus puerorum, maternis ex manibus vinum petat & impetret, syrupo acetos. citri, limon. berber. dulcoratū, bujus succedaneum erit. Sunt qui totum malum granatum contundunt, succumq; illius exprimunt, & cum exigua admodum Croci portione, ac syrupo de agrestà interdum propinant, præsertim erumpentibus variolis, ut temperata & roborata facultas commodius expellat peccantem humorem.

58. Somnus & vigilia modum servent: Ab initio tamen vigilare quàm dormire melius est: Somnus etenim multus calorem, comitibus spiritibus, ad interiora, cum fermento maligno ad superficiem tendente, revocat, materiam febrilem intra corpus detinet, duplicatq; calore, & auctà putredine, incendium majus excitat, caput gravat, multoq; illud vapore replet: In declinatione verò largior & longior paulò somnus, ad vires reficiendas, rectè suadetur.

59. Corpus totius morbi decursu quietum maneat, quò calor naturalis expulsionì melius vacare possit: Nihilominus sub initium leves frictions pedum, dorsì, totiusq; corporis, ad materiam ex centro ad peripheriam ducendam, non parum profunt.

60. Excretiones alvine tempore eruptionis, sint secundum naturæ vel consuetudinis modū. Neq; tamen, nisi prius in humoribus factà correctione, clystere aut balano suscitanda, etiã si trium quatuorve dierum spatio nihil deficiatur: Quod in tempestivâ quorundam medicorum in excitandâ alvo diligentia sæpè fluxus insequens periculosus fuerit, & tam in prin-

C

cipio

cipio, quam progressu lethalis: Ne dicam ipsam etiam Naturam hoc modo, quum ad superficiem & exteriores corporis partes superfluitatem expellere admittitur, vi quadam, pessimum cum agri rebus, ad centrum revocari.

61. Animi motus compescantur, præcipuè qui sanguinem cum calore ad interiora revocare queunt, ut timor, tristitia, tristium rerum cogitatio; Iram tamen mitem, apparentibus pustulis, sunt qui probant, ut humores calefaciat & ad exitum aptiores reddat.

62. Ex præsidys Chirurgicis tria hæc veniunt: Sanguinis detractio, frictio, & pustularum perforatio.

63. Ad primum, si respicimus ebullitionem, & plethoram, quæ plerumq; hos morbos comitatur, indicatio offertur mittendi sanguinis, qui & statim in initio, ac si possibile, primo die, fervoris mitigandi, & natura allevianda causa, habitâ virium & ætatis ratione, minuetur, ut deinceps reliquum tantò facilius vinci & potentius extrudi possit: neq; verò profusa admodum & larga esse debet evacuatio, sed diutius negotiosâ plenitudinem, magnitudinem, & reliqua, quæ illam expetunt, considerando: / quo modo, etiam si exire cœperint, phlebotomia in ijs, qui sanguinei, corpulenti, ætate storentes, & maxumè sunt robusti, haud nocebit; quin potius facultas, à sarcinâ libera, tantò alacrius expulsionem incumbet: neque differendum hoc auxilium, licet ager in summo febris vigore sit constitutus.

64. Locus est vena brachij interior, quæ basilica seu jecoraria dicitur. Mulieribus, quibus menstrua suppressa, itemq; Melancholicis, venam tali aut poplitis secare convenit. Pueris, cum nihil vetat, utiliter sanguis narium provocabitur, cujus fluxu partes superiores à malitiâ variolarum & morbillorum sæpè visæ sunt mansisse immunes.

65. Quod

65. Quod si propter aetatis teneritatem & molliem, vel virium aliquam imbecillitatem, aut aliam ob causam, suspecta sit venesectio, aliquando vicariam operam prestabunt, vel cucurbitula scarificata, vel hirudines, scapulis, brachijs, lumbis, natibus aut cruribus affixa, ut foras, quod partibus inhaeret, eliciatur, vel & sanguis cum minori virtutis dispendio extrahatur. Ubi tamen non facile imitandus Avenzoar, qui filio suo trimulo venam incidit, nec Rhases, qui pueris lactentibus, si quintum mensem exceßerint, cucurbitulas apponit.

66. Frictionibus blandis totius corporis, ac imprimis pedum aliquandiu continuatis, materia sursum ad caput repens, ad membra ignobiliora retrahetur, & corporis summa cutis calescet, spiracula laxabuntur, & dilatabuntur, atque ita humores in extremas partes effusi, facilius evaporabunt.

67. Perforare variolas qui volent, observabunt tempus, ipsas variolas, instrumentum, & aperiendi modum. Tempus aptum erit, quando ad perfectam maturitatem pervenerunt, & variola jam dealbata sunt, quod à die septimo usque ad undecimum fieri solet: neque tamen omnes, sed magne, & quae intra se puris multum, ac materiam densa pinguedini similem continent, imprimis in facie, ne sanies diutius detenta, prohibita in parte illa ventilatione, subjectam cutim corrumpat, eradat, & altiores foveas instigat, praeter alia aperienda, idque pluribus in locis, ne vicissim repente occludantur: neque etiam omnes uno die simul, sed quaedam singulis diebus, aut interposito die uno, acu acutissima, aurea, vel argentea aut aerea, non ferrea: interea sanies assidue detergenda cum serico crudo, aut tenerissima lana. Nos vero arbitramur prestare, maturationem atque apertionem natura relinquere,



cum praxis ostenderit, illos, quibus variola spontè exaruerunt, saepe citra deformitatem revaluisse.

68. Restat ut & de praesidiis, ex fonte pharmaceutico desumptis, breviter agamus: & primo, si fortè contingat, ut statim in principio, ante variolarum & morbillorum eruptionem medicus vocetur, sitq; alvus adstricta, hac lenissimis clysteribus, aut glandibus, vel blando aliquo medicamento, quale est manna, pulpa tamarind. Syrup. rosar. solutivus, pulvis Rhubarbari, & id genus alia, quae adstrictionem aliquam post se relinquunt, solvenda.

69. Apparentibus jam variolis & morbillis, purgantia nullum habent usum, & sunt in hoc casu admodum suspecta, quod motu, natura motui contrario, à totius corporis circūferentia, & venis minoribus, ad internas partes & vasa majora, humores virulētos retrahant, ut propterea etiam à fortioribus purgantibus, toto morbi curriculo, sit abstinendum, ne natura in expulsiōe, qua tota ferè est critica, impediatur, vel & humoribus peccantibus, vi medicamentorum ad intestina revocatis, dysenteria, vel aliud perniciosum profluvium excitetur: declinante tamen manifestè malo, si adhuc tumultus, aut turbatio ventris, vel cruditas in corpore relinquatur, huic decente cathartico obviandum, ne variolis aut morbillis sublati, nova febris, aut alius deterior vicissim subingruat affectus.

70. Dehinc si cum vehementi fervore & febris morbus ordiatur, statim fervor ille extinguatur refrigerantibus & modicè adstringentibus, quae simul virtutem corrigendi putredinem, & resistendi malignitati habeant, praesertim cum malum hoc epidemicum esse animadvertimus: qualia sunt acetosa, endivia, plantago, Syr. de Agrestà, succo citri, limon. rob. ribium, berber. eaq. vel sola, vel invicem composita, formam medicamenti secundum morbi indolem medici arbitrio

com-

commisâ, quibus spiritus vitrioli, vel salis communis aut ni-  
tri, maximo cum agri commodo miscetur.

71. A quorum usu, postquam natura expellere inci-  
pit, suumq; rectè facit officium, eam multis onerare remediis,  
opus non est, uti à multis temerè fieri observamus; sin verò  
tardius operetur, natura motus juvandus is, qua materiam  
calore & partium tenuitate modestè fundunt, meatus ape-  
riunt, & cum sudore expellunt: Quorsum commendantur  
emuls. ex sem. napi, citri, cardui bened. acetos. cum aquis fe-  
brifugis facta, decoctum ligni sancti & sarsa parille, a-  
liâq; hydrotica: Sola fœniculi aqua, vel ex florib. linar. de-  
stillata, Gesnero probatur. Vulgare est decoct. bord. sicuum  
arid. passul. sem. & radic. apij, sem. fœniculi, anisi, aquileg.  
nasturt. flor. calend. fol. scorâj, cort. citri, radic. Helenj, an-  
gel. Theriaca, mithridatium, pulv. ruber panonicus, dia-  
scord. Fracastorj, spec. liber. terra lemn. Laudatur & sal suc-  
cini, Bezoart. minerale, aqua Theriac. mistura simplex,  
sal card. ben. absynth. simulq; C. C. prepar. & scobs ejus,  
ac si philosophicè absq; igne calcinatum sit, magnam utiq; lau-  
dem meretur; veri enim unicornu locum tum supplet, & tu-  
tius ei fidere possumus, quàm cuilibet lapid. Bezoar, cui tamen  
multi nimium tribuunt, eôq; ac si exeuntem animam retar-  
dare posset, ubi nulla spes salutis reliqua est, utuntur, &  
nihil ferè nisi hoc agunt, ut divites sine sumptu mori non per-  
mittant.

72. Lactentes si agrotent, tota ferè curatio ad nutri-  
cem dirigenda, cui præscribatur dieta conveniens, corpus  
purgetur, lac corrigatur, idque ut medicamentoſus fiat, ab-  
terantia & expulsiva sæpius & satis magnâ illi propinentur  
quantitate.

73. A Topicis frigidis, narcoticis, astringentibus,  
C. 3

& un-

Et unctuosus, emplastrisq; omnibus, toto morbi tempore absti-  
nendum: Commendant tamen Arabes, si dolor & cruciatus  
enormiter urgeat, illicam fervidarum partium ex medulla  
vitulinâ, aut vaccinâ; Alij huic symptomati subveniunt fo-  
tibus aut evaporationibus, qua moderatè calefaciant, & vi  
anodynâ consent, velut ex decocto malva, althea, lini & sem.  
fœnugraci.

74. His accuratè institutis & observatis, simul quoq;  
partibus, tam externis quam internis, ne ladantur aut gra-  
viores noxam sentiant, prospiciendum.

75. Et oculi defenduntur, humorumq; ad eos fluxio-  
nes sistuntur, statim primo die, priusquam appareant, re-  
frigerantibus, repellentibus, & modicè adstringentibus, velut  
aq. Rosar. plantag. vel solis, vel cum infuso aut decoct. sem. su-  
mach: quibus cum tenui linteo oculi saepe illinantur: eundem  
in finem etiam auri lamina frigida, frequenter iisdem impo-  
nitur: sic & saphyro subinde tanguntur, vel & cora palpebra  
aliquot vicibus eâ quotidie circumscribitur: Cavendum au-  
tem ne agrorum manibus durius fricentur. Urgète dolore uti  
possimus lacte ebalybeato, vel cum aq. plantag. aut rosar. &  
pauillo croco misto; si ab ichore claudantur, lacte tepente,  
vel decoct. sem. fœnugr. coton. aut lini, cum aquâ rosar. pa-  
rato, fomententur: in quam rem sunt qui sanguinem pulli  
columborum, ex incis. venis sub alis, in oculos instillant: a-  
pertis oculis, si nebula aliqua in iis conspiciatur, saccharum  
albißimû in pollinem redactum, oculis immittatur: Ubi quoq;  
secreti loco aq. roris marini quibusdam commendatur, & illa,  
qua fit ex saccharo finiss. in cannâ fœniculi viridis, artificiosè  
per noctem sereno cælo soluto.

76. Nares ne afficiantur, conducit poscam, vel acetum  
rosaceum iis sapius attrahere, adhibere odoramenta ex rosis,  
plan.

plantagine, myrabo, decoctis, tepida. Exulceratis, ceratum a  
rosaceum vel violaceū, mixtā parte mucilaginis tragacantha  
aq. rosar. vel plantag. facta, prodest: quin & succus plantagi-  
nis in mortario plumbeo saepius agitatus, uti & unguentum ex  
vitello ovi, consolidationem promovet. Sin crassa respira-  
tionem intercipient, emolliantur butyro insulso aqua rosar.  
loto, vel ol. sem. lini, amygd. dulc. ungu. pomada.

77. Labia si variolis circumdata, vel ulceratione  
affecta fuerint, mucilage sem. coton. obtineri poterunt.

78. Pro faucibus defendendis, utimar gargarisma-  
tis ex astringentibus & refrigerantibus, aq. bord. plantaginis,  
prunella, rosarum, item decocto ex foliis & summitatibus rubi,  
succisa, corticib. granat. cum succo granat. ribium, berb. melle  
rosato, diamoro, syrupo ex succo viol. aut liquir. nec sine fru-  
ctu grana granatorum subinde ore tenentur, masticantur, &  
vicissim exspuuntur: si acrimonia aut dolor urgeat, collua-  
tur os lacte mulieris vel capra, cum aq. rosar. plantag. &  
paucosaccaro, cavendo ne lac ager deglutiat.

79. Pueris, quibus per aetatem gargarismi injungi  
nequeunt, sequens linctus ex mucilag. seminum coton. vel lini,  
aut psyl. ol. amygd. dulcium recenti cum sufficienti quanti-  
tate saccari dulcorandus offeratur: quin & rotulas diatrag.  
frigidi assiduò ore volvere, non parum juvat.

80. Quod si tamen oris partes exulcerentur, nec  
predicta sufficienter prosint, aquā aluminis utendum; & si  
pars ejus in corruptionem vergat, hac cum ungu. Aegyptiaco  
permixto aque plantaginis compescenda.

81. Morbillorum vel variolarum materia si ad au-  
res deferatur, cum metus sit ne surditatem inducat, spongiam  
aquā tepidā imbutam cum oleo rosaceo super aurem dolen-  
tem.

rem detinere, proficuum est, inte. ea prohibendo ne agri aures  
vehementius scalpant.

82. Manuum volis, pedumq; plantis, ubi non nisi  
cum magnâ difficultate egrediuntur, sunt qui carnes pomorum  
assatorum cum farinâ bordei & lentium, ac oleo amygd.  
dulcium recentî, felicissimè applicant.

83. Quod si sub exitum variolarum aut morbillorum  
ingens pruritus & punctio in hisce partibus cum intolerabili  
dolore percipiatur, sunt qui isti leniendo manus & pedes con-  
tinuò in aquâ calidâ tenendos suadent.

84. Quod si accidat, ut materia adeò sit maligna  
qualitatis, pestilentis & contagiosa, ut partes carnosas lapi-  
asse non sit contenta, sed ossa quoq;, instar Luis Venereæ arro-  
dat ac corrumpat, scribente Paræo, genuumq; motum suspen-  
dat, alexipharmacis insistentium, aliâq; hisce doloribus pecu-  
liariter emendandis accersenda specifica, intus & extra se-  
cundum Artis Medice præcepta adhibenda.

85. Pulmonibus conveniunt Looch de lentib. de pa-  
pav. russilog. spec. diatrag. frigidi, diapenid. sine speciebus, syr.  
jujubinus, ex succo violarum, quæ lambendo sensim sumuntur.

86. Lacca Epar & Lienem roborat, & sunt istius ge-  
neris quamplurima passim apud probatos auctores, quibus  
viscerum naturalium tonus conservatur.

87. Intestinorum virtus defenditur, syrupo coton.  
myrtino, de rosis siccis, & similibus; quod si nihilominus alvi  
fluxus superveniat, aut dysenteria, utiliter lac amygd. dulc.  
conserv. rosar. rubrarum vetus, troch. de terrâ sigill. de spodio,  
semen plantag. aliâq; administrabuntur.

88. Renes conservantur & mictus cruentus curatur,  
exhibitione pulveris succini alb. preparati, troch. alkekengi,  
de carab. cum emuls. sem. quatuor frigid. majorum vel &  
avo recenti sumendi.

89. Atq;

89. Atq; ita perfectè omnibus protrusis, variola si  
dura manent, prodest eae decocto ficuum, malva, liliorum alb.  
alb. sem. fœnugraci, ni, sæpè cum gossypio tepidè tangere,  
vel & ficus incisas hīs applicare, ut emolliantur, dolor leniatur  
& maturatio acceleretur.

90. Quò verò tantò citius exsiccentur, Arabes pra-  
ponunt aq. salitam, ex aq. rosar, uncys ij, salis communis  
drach. j. Croci scrupulo dimid. mistis, tepidè cū linteo expresso  
pustulis, in quibus multa residet humiditas, adbibendam, cujus  
tamè usus, priusquam perfectè dealbata sint, non ineatur, neq;  
etiam statim, ex quo facta est perforatio, sed post aliquot  
horas, dolore mitigato.

91. Alij commendant suffitum lectorum & cubiculi  
ex santalis, rosas rubr. fol. tamarisci, thure & cortice ejus,  
sandaracà, & similibus. Horum quoq; fumus linteaminibus  
exceptus variolis ritè adhiberi potest.

92. Quidam variolas & culcitrae conspergunt fari-  
nà bord. lupin. mylij, orizæ, fabarum, pulv. mastich. myrrha,  
quibus tamen sine molestiâ agros, qui vix molles plumas susti-  
nent, incumbere posse, vix credibile est: Quorsum etiam  
morbo declinante, si semper antea oportune facta sunt omnia,  
istius generis auxilia advocantur, cum natura pravos humo-  
res corpori inexistentes, jam foràs ad cutem transmiserit, qui  
ad suppurationem pervenerūt, propediem sponte suâ exsiccan-  
di? prestat itaq; agros potius ad patientiam hortari, & ma-  
turitatem atq; exsiccationem brevi expectare.

93. Crusta arefacta decrabuntur inunctione ungu.  
rosac. aut ol. amygd. dulc. butyri loti aq. plantaginis, ungu.  
pomade similiumq; & profuit pluribus Guainerij unguentum,  
quod recipit rosar. unciam unā, pinguedinis anguilla semun-  
ciam,

D

ciam,

ciam; lauentur cum aq. rosarum: quibus immiscetur lythargyrj subtilissimi drachma una, cerussa semidrachma, & adiecta cerâ formatur linimentum.

94. Tandem si qua diutius relinquuntur ulcera, ea penitus exsiccantur, & consolidantur ungu. de ceruss. de pompb. de lytharg. ungu. albo, vel rubro campborato, preparato sine aceto, & hujus generis aliis.

95. Macule etiam, qua in facie & manibus relinquuntur, tolli perhibentur farinâ oryzae, lupin. cicerum, fabar. rad. bryoni. arundinis & cannarum, serpentaria ejusq. gersa, aristolochia, sigill. salom. ari. contusis & suffic. quant. aq. coctis, usq. dum crassescat liquor, quo facies & manus ablauntur: ex quibus quoq. addito oleo aliisq. varia unguenta parantur. Commendatur insuper aq. sigill. Salom. rad. lil. alb. flor. fab. limacum, vel & liquor ex vulneratis limacibus effluens, quorum omnium fides sit penes experientiam.

96. Constat nihilotenus, si variolas maturas, cum pluma oleo amygd. dulcium recens expresso intinctâ, bis omni die illinamus, donec exsiccantur, nulla vel exigua admodum vestigia relinqui; quorum cum diu adhuc perseverare soleat rubedo, tollitur hac, sauisq. cuti nitor restituitur, liquore, ex duobus pedibus vituli, totidemq. limonibus, & unciis duabus serpentariae, per alembicum destillato, & vesperi maneq. illito.

97. Quod si verò praeter Medici intentum cicatrices deformes relinquuntur, ad istarum foveas explendas, partes primò linteo aspero ad rubedinem fricentur, deinde iis, si pilis careant; pix calida ter aut quater adhibeatur, & iterum cum impetu detrahatur: tandem inungantur linimento ex humana vel ursinâ, leporinâ aut asininâ axungia cum cinere testudinum aut radicum cannae arundinis combustarum: Alij sanguine calido recens juglatis leporis faciem vesperi illinunt.

98. Lau-

98. Laudatur quoq. ol. ovor. axung. anatis, vel sebum  
ex renibus capreolorum, admixto modico alumin. & pulvere  
ar. Staloch. oleum tartari per deliquitū, vel manicā, cujus medi  
plura apud practicos, qui Cosmetica scripserunt, reperiuntur.

99. Ceterum ab horum adbibitione, matutinis horis  
viciſſim facies aut manus aquā decoct. lupin. vel furs. triticei  
abluantur frigidā, ne ſavea calore magis magisq. dilatentur.

100. Quandoquidem autem varia cum hiſce affecti  
bus ſymptomata cōplicari, ſimulq. ingruere interdum ſoleant,  
qua praxi & diligenti circa egros habitā obſervatione o  
mnium optimē & rectiſſimē addiſcuntur, iſtorum rationem  
& curam omnem medicorum industria committimus: nobis  
hac ſaltem annotaſſe, & veluti digito oſtendiſſe ſufficiat.

#### COROLLARIA.

1. An variolæ & morbilli veteribus  
Græcis innotuerint? A.
2. An omnes homines variolarum  
& morbillorum ſeminaria ſecum ha  
beant? A.
3. An quæ per variolarum & mor  
billorum eruptionē fit ſanguinis mū  
dificatio in hominibus neceſſaria? A.
4. An ſufficiat variolarum & mor  
billorum cauſſam ad cœcam & occultā  
aëris viciati qualitatem referre? N.
5. An



5. An verò ad reliquias impuritatis, sanguinis menstrui, quo foetus in utero nutritur, ipsaq; constant viscera? N.

6. An variolæ & morbilli hereditariis morbis adnumerandi? N.


7. An in adultioribus, tantâ in venis cumulâtâ sanguinis quantitate, ut Natura ei gubernandæ par non sit, cum variolæ aut morbilli jam erumpere incipiunt, citra noxam, venam aperire liceat? A.

8. An frictionibus meatus cutis aperiuntur, excrementa interna evocentur & absumantur? A.

9. An suffumigia exsiccantia & absorbentia variolis vel morbillis conveniant? A.

10. An olea, & quæ ex iis parantur unguenta, & linimenta, variolis curandis tutò adhibeantur? A.

















98. Laudatur quoq. ol. ovor. axung. an  
ex renibus capreolorum, admixto modico alum  
ar. stolo. oleum tartari per deliquitū, vel man  
plura apud praticos, qui Cosmetica scripserunt

99. Caterum ab horum adbibitione, m  
vicissim facies aut manus aqua decoct. lupin. ve  
abluantur frigidā, ne fovea calore magis magis

100. Quandoquidem autem varia cum  
his symptomata cōplicari, simulq. ingruere inter  
que praxi & diligenti circa egros habitā ob  
mnum optimē & rectissimē addiscuntur, istora  
& curam omnem medicorum industria commissa  
hac saltem annotasse, & veluti digito ostendisse

### COROLLARIA.

1. An variolæ & morbilli v  
Græcis innotuerint? A.

2. An omnes homines var  
& morbillorum seminaria fe  
beant? A.

3. An quæ per variolarum  
billorum eruptionē fit sangu  
dificatio in hominibus necessa

4. An sufficiat variolarum  
billorum causam ad cœcam &  
aëris viciati qualitatem referre

